Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift



fuerint in refectorio non accedunt ad ullam mensam ante versum. sed in medio refectorio stant aut sedent cum magistris. usque dum veniat qui sessurus est ad scillam. Per mensas sunt divisi et singuli ante tales positi qui non dissimulent si quam viderint negligentiam eorum. Inter comedendum non quoquam discurrunt. ut vel sal vel scutellam vel aliud quid illi fratri apportent. nec ab ullo quid accipiunt nisi quod omnibus generaliter datur. et si quid eis domnus abbas miserit. vel cellerarius dederit. Solus ille puer qui stat ad mensam principalem si ei a domno abbate vel priore innuitur scutellis opus habere. pergit ad magistrum suum. et ille surgens requirit de coquina. et ponit ante puerum. ut eas apportet. per quem etiam cui quid voluerit dirigit. qui sedet ad scillam. Idemque puer propter hospites qui ad illam mensam frequenter sedent. duos portat iugiter cultellos. Si quis eorum ita infirmatur ut non bene stare possit. huic priore consentiente a magistro mensula et mappula providetur. ut ibidem sedeat. ubi stare solebat. Post prandium vel cenam pariter exeuntes inter utrumque chorum in medium procedunt. Post nonam cum fratres biberint. et ad collationem novissimi. et ante domnum abbatem vel priorem. Quotiens generaliter ecclesiam intrant. intrant ad orientalem plagam. et conversi ad occidentalem. Nulla hora. nulla refectio generalis inchoatur absque illis. nisi assint vel duo. Ubicumque transierint per claustrum. fratres contra eos aliquantulum se levant. et inclinant. tam propter duos quam propter omnes. Sed nec ad necessarias. nec ad ullum locum divertunt. nisi semper duo sint simul. et unus magister in medio eorum qui nec sedet. sed stat ante illos ad necessarias si defuerint conversi. Servitores de refectorio exeuntes. si sedent ubi sedere solent. inclinant contra illos. et illi assurgentes contra eos. Quod si quando exeunt ad regularem horam aliquando tardius occurrunt. quam ad gloria patri primi psalmi. non propter hoc ut alii stare veniunt ad gradum. licet si morantur a refectorio usque dum versus dictus fuerit. minime petunt